



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

Regnault, Valère

Mogvntiæ, 1617

Ad Candidvm Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78322)



AD CANDIDVM LECTOREM.

N huius Operis molitione, cuius mihi ut author sic & propi-
tius adus or fuit Dominus noster IESVS CHRISTVS: sectan-
da potius fuit familiaris docend ratio ad vsum accommodata,
quam subtilis, ad eruditionem eminentem comparata tracta-
tio. Vnde nihil est quod mirere, me ab accurata nonnullarum
difficultatum grauiorum abstinere examinatione. Potui enim
ac etiam debui (breuitatis saltem studio) illam Theologis Scho-
lasticis relinquere; praesertim cum in talibus, nihil quoad vsum referat, affirman-
temne partem, au negantem amplectaris; si quidem vtraque sit probabilis: ut cen-
setur esse, quando iis auctoritatum & rationum momentis innititur, quibus virum
prudentem ad assensum moueri par sit.

Nec etiam est quod mirere, post annos amplius viginti positos in istiusmodi
doctrina tradenda, si authorum etiam recentissimorum vestigijs sic insistam, ut de
meo interdum nihil fere adferre videar. Quidquid enim existimandum esset de me
(quod parui refert) animarum utilitas, ad maiorem Dei gloriam, habenda fuit mi-
hi pra oculis; utpote qui scirem, in definiendis quidem circa credenda occurrentibus
difficultatibus, quo antiquiores fuerint Authores, eo maioris ponderis censei ipso-
rum placita, tanquam viciniora traditioni, doctrinaeque Apostolicae. In dirimendis
tamen controuersis circa agenda enatis, potiore ex aduerso haberi rationem Do-
ctorum recentiorum, quos constiterit excelluisse in doctrina, ac diligentes extitisse in
euoluendis & expendendis aliorum sententijs; atque ponderandis de nouo emergen-
tibus agendorum, qua ex earum inspectione definienda sunt, circumstantijs: qua-
rum tanta est inconstantia, ex varietate personarum, locorum, & temporum: ut
plerumque nihil aliud in genere statui possit, quam totum esse relinquendum pruden-
tis arbitrio, qui illis inspectis ac ponderatis statuatur, quid rationi consentaneum cen-
setur. Qua in re potiores partes merito tribuuntur recentioribus, qui praesentium
temporum morumque conditiones perspectas habent. Iam si quid in eodem hoc Ope-
re tibi occurrat, quod minus probes: Ecclesiastica ac etiam tua censura li-
benter subiicio. De eo vero quod probaueris, gratias age
Christo, communi nostro Domino.